

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 716

**Bénéficiaire(s) :** Henri, Le Tréport, Saint-Michel (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** notice

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1234, 23 avril

**Lieu d'émission :** Rouen

**Action juridique :** notification

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Procès entre l'abbé du Tréport et Jean des Vignes, bailli royal à Falaise, au sujet de la cure de Bazoches, après la mort de Robert de Mombrai

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° CLIX, p. 177-179.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus presens scriptum inspecturis quod, cum Robertus de Mombraio, quondam clericus et persona de Basoches prope Falesiam, in episcopatu Sagiensi, ad presentationem Radulphi, quondam abbatis, et conventus de Ulteriori Portu, viam fuisset universe carnis ingressus in Anglia, anno Domini M°. CC°. XXX°. tertio, mense septembri, Johannes de Vineis, tunc baillivus domini regis Francie in baillia de Falesia et in tota illa patria, de morte dicti Roberti de Mombraio habens notitiam, predictam ecclesiam cum decimis et pertinentiis suis et homines et feedum laicale, quod in predicta villa ad dictos abbatem et conventum de Ulteriori Portu pertinebat, que omnia dictus Robertus de eisdem monachis per longum tempus ad firmam tenuerat, inviam domini Regis saisivit, asserens hec omnia ad dictum Regem pertinere. Quod audiens tunc abbas Henricus de Ulteriori Portu, quondam monachus Beate Marie Becci, necesse habuit personaliter pro jure ecclesie comparere in assisiis apud Falesiam, cum cartis et privilegiis abbatie de Ulteriori Portu de jure suo in rebus predictis loquentibus, pro recuperatione dicte ecclesie de Basochiis, cum decimis et pertinentiis suis, et feedi sui laicalis. Dictus autem baillivus querimoniam et petitionem predicti Henrici, abbatis de Ulteriori Portu, audiens et cartas ejus per clericos et milites assisie subtiliter intuens [.....]pliciter judicans, habitu cum clericis et militibus assisie concilio, predictam querelam ad dicti domini regis Francie curiam decrevit transmittere, diem terciam predicto abbatii de Ulteriori Portu coram domino Rege [.....] prefigens. In cuius presentia cum abbas de Ulteriori Portu Henricus, pro monasterio suo, et predictus baillivus, pro parte domini Regis, ad diem assignatam personaliter compariuerunt et per octo dies in curia domini Regis moram fecissent, dominus Rex, post multas altercationes, habitu cum baronibus suis et militibus consilio, predictam querelam ad assisiis Falesie remisit, per legitimam inquisitionem bonorum virorum, tam super possessione quam proprietate utriusque partis, terminandam. Cumque dictus Johannes de Vineis, domini Regis baillivus, diem assisiarum dicto abbatii Henrico determinasset et assignasset apud Falesiam, ad illam inquisitionem faciendam, et idem abbas, cum magno comitatu et consilio, ad diem personaliter, ad expensas graves et maximas, comparuisset et multi, tam presbiteri quam milites, per preceptum domini Regis, per quos debebat fieri inquisitio, in assisiis interessent, dictus baillivus, facti sui penitens et de jure domini Regis diffidens et metuens ne, si in assisiis, facta inquisitione, contrariam reportarent sententiam, malevolentiam domini Regis incurreret, eandem

inquisitionem faciendam transmisit ad sacratum scacarium domini Regis de Pascha apud Rothomagum, sub anno gratie M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.XXX<sup>o</sup>.III<sup>o</sup>. In quo scacario, eodem abbe Henrico de Ulteriori Portu et dicto Johanne de Vineis, cum predictis presbiteris et militibus, a quibus debebat fieri inquisitio, comparentibus, inquisitione per Hugonem, episcopum Sagiensem, et per Willelmum Accarin, decanum de Sancto Sepulcro, ad mandatum domini Regis, ibidem cum predictis presbiteris et militibus legitime facta et in pleno scacario publicata, Deo volente, per intercessionem beate Marie Virginis et beati Michaelis et omnium sanctorum, querela predicta fuit terminata et sententia pro dicto abbe Henrico lata, et dicta ecclesia de Basochis, cum decimis et pertinentiis suis et cum feodo laicali, de quo erat questio predicta, abbati adjudicata et restituta, et de pleno scacario. Idem abbas Henricus de Ulteriori Portu possessionem omnium rerum predictarum, Deo auxiliante, integerrime reportavit. Presentibus his : domino Bartholomeo de Roya, Johanne de Bellomonte, magistro Johanne de Curia, Gausfrido de Capella, Theobaldo de Capella, Guillelmo, episcopo Lexoviensi, Hugone, Sagiensi episcopo, Ricardo, Ebroicensi episcopo, Hugone, Constantiensi episcopo, Gausfrido de Bulliaco, Henrico de Brou, Johanne de Vineis, abbate de Fiscanno, abbate de Becco, abbate Exaquensi, abbate Ulterioris Portus, Guillelmo, connestabulario Normannie, R., vicecomite de Sancta Susanna, R. de Harecourt, Guillelmo Crispino, Radulpho de Tancarvilla, camerario, R. de Horneval, R. de Cordiaco, Fulcone Paganello, Andrico de Vitriaco, Guillelmo Paganello, Gausfrido Rufino, Radulpho de Milouet, Gausfrido Roassel, Rogero Peschevairon, Simone Fournel, Petro de Landis, Johanne de Tournebu, Thoma de Colunces, Roberto de Ravento, Amaurico de Harencort, Petro de Brionis, Guillelmo de Rivers, Gausfrido Pater noster, cancellario Bajocensi, et pluribus aliis.